Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26134
Copyright: Admont, Benediktinerstift



probabis enim rationi manifestissime acquiescens. tunc si iam apud te
ipsum humiliatus es necessaria illa humilitate qua scrutans corda et
renes veritas sensibus ingerit animae vigilantis. adhibe voluntatem et
fac de necessitate virtutem. quoniam nulla est virtus sine coniuentia voluntatis.
Sic autem fiet istud si nolis alteri apparere foris. quam te inuenis intus.
Aliquando time ne de te ipso legas. Quod dolose egit in conspectu eius.
ut inuenitur iniquitas eius ad odium. Pondus inquit et pondus abominatio est
apud dominum. Quid enim. Tu te depicturis in secreto apud te ipsum uiri
na veritatis. pondatus. et foris alteri poni metiens. maiori te pondere
uendis nobis. quam ab ipsa accepisti. Time dominum et noli hanc rem
pessimam facere. ut quae humiliat veritas extollat voluntas. hoc est
enim resistere veritati. hoc est pugnare contra dominum. Magis autem acquiesce
domino et sit voluntas subdita veritati. nec tantum subdita. sed et de
uota. Nonne domino subiecta erit anima mea. Ait parum est esse subiectum
inquit
domino nisi sis et omni humanae creaturae propter dominum. siue abbati tanquam praecellen
ti. siue prioribus ab eo constitutis. Ego plus dico subdere paribus sub
dere et minoribus. Sic enim decet nos inquit omnem implere iusti
tiam. Vade et tu ad minorem si uis in iustitia esse perfectus. deferens in
feriori. iuniori te inclinato. Hoc enim faciens trahes et ipse ad te
sponsum sermonem quem dixi. et nardus mea dedit odorem suum. Odor
deuocio est. odor bona opinio quae ad omnes peruenit ut appareat sis bonus
odor in omni loco. spectabilis omnibus. amabilis omnibus. Non potest
hoc ille humilis quem veritas ad humilitatem cogit. quoniam si habet
illa et exire non patitur ut sparsa foris redoleat. Magis autem non habet
odorem et non habet deuotionem. utpote qui non sponte neque libenter
se humiliat. Sponsae autem humilitas tanquam nardus spargit odorem
suum amore calens. deuotione uigens opinione redolens. Sponsae
humilitas uoluntaria est. perpetua est. fructifera est. Odor eius nec re
prehensione extinguitur. nec laude. Audierat pulchrae sunt genae
tuae sicut turturis et collum tuum sicut monilia. Acceperat et repromissio
nem ornatus aurei. et nichilominus tamen cum humilitate respon
det. et quanto maiorem se audit tanto humiliat se in omnibus.